

lumna aëris quæ hemisphæriorum nostrorum areæ circulari respondet habeat basin 663. digg. quadratorum, erunt illa prior & hæc posterior aëris columnæ (ejusdem quippe altitudinis) inter se ut bases. Ponendo igitur in regula de Tri, ut 144. ad 663. sic 1800. ad quartum, five 48. — 221. — 1800.

provenirent 8287. libræ pro uno aëris cylindro qui uni hemisphærio incumbit, cui pondere æqualis est alter alteri incumbens; ita ut vis tota comprimens hæc hemisphæria æquivaleret, ponderi 16574. librarum five plusquam 160. centenariorum. Solet autem unius equi robur communiter sufficere 10. centenariis sed super curruum rotis aut cylindris provolvendis, adeoque iisdem citra subsidium mechanicum trahendis impar omnino futurum: ideoque manifestum est, tanto aëris oneri submovendo 16. equos nequaquam posse sufficere.

X. His autem rectè perceptis obvia quoque ratio est Causa 5.  
Phæn. ejus circumstantiæ, quòd, aëre per apertum epistomium iterum admissò, nondum tamen separari ab invicem hemisphæria levi brachio licuerit; quia scilicet aër intus in cavitatem utriusque hemisphærii connitens eademque adeò separare conatus pro basi habet minorem solùm aream circularem, quam num. III. supputavimus esse 480. digg. quadratorum; cùm externus aër, qui eadem hemisphæria opposito nisu comprimit, innitatur basi five areæ circulari majori 663. digg. quadratorum, ita ut vis externi superet vim interni tanto pondere, quantum respondet columnæ, aëris, cujus basis esset differentia inter aream majorem & minorem, nimirum 183. digg. quadratorum. Id verò pondus si quis ex hypothese superiore specialius computare gestiât, ponendo iterum in regula de Tri

ut 144. ad 183. sic 1800. ad quartum, five 48. — 61. — 1800.

reperiet, etiam admissò jam in cavitatem hemisphæriorum inter-